

Sexagena

multiplices partes habet, scilicet. semissem, trientem, quadrantem sextantem, præterea partem quintam, tum decimam tum, duodecimam; tum decimam quintam, tum vicesimam & tricesimam. Nec solum partes seu gradus circuli velut integra in minutissimas ac subtiliss. quasq; particulas sexagesimas distribuimus, perpetua diuisione sexagenaria, verum ipsa quoq; integra eodem sexagenario colligimus seu coagmentamus, vt fiant sexagenæ vel ἑξήκοντα ἄδιε: vt 60 partes, id est sextans circuli, sunt vna sexagena prima. Rursum 60. sexagenæ primæ partium, id est decem integri circuli sunt vna sexagena secunda. Adhunc igitur modum etiam in accumulandis seu coaceruandis integris ascendere licebit, donec vsus postulauerit. Quemadmodum igitur naturalis numerorum series crescit in infinitum vel decrescit vnitatis vel adiectione vel abiectione; ita species numerorum huius logisticae perpetuo seruant eandem speciem analogiæ, nempe sexagecuplam, vt vna sexagena prima est sexagecupla partis, vna pars sexagecupla est vnius scrupuli primi, vnum scrupulum primum sexagecuplum est vnius secundi scrupuli, & sic porro descendendo, vel econtra, sicut vnum scrupulum secundum sexagesimum est vnius primi, ita vnum primum sexagesimum est vnius partis, & vna pars sexagesima vnius sexagenæ, & sic porro ascendendo donec libuerit.

S Y S T E M A
specierum huius logisticae.

Analogia sexagecuplae rationis

Vtilitas huius logisticae.

Quantum autem sit compendij & facilitatis in calculo, vbi vel natura vel arte talis specierum analogia constituta est, non ignotum est erudite versantibus in ea logistice, quam docti $\chi\mu\alpha\tau\iota\sigma\tau\iota\kappa\eta$ vocant, & postea adparebit in multiplicationibus ac diuisionibus huius logisticae. Qua in re illud etiam considerandum est, quam breuiter subtilissimæ minutissimæq; particulae totius enuncientur, vt vnum scrupulum primum est vna sexagesima particula partis vnius tanquam integri, scrupulum vero secundum est vna tricesima sexta particulae centesimæ partis vnius seu gradus tanquam integri. Scrupulum autem tertium, est vna ducenesima sedecima particulae millesimæ partis similiter vnius. In hunc modum iuxta continuam progressionem seu analogiam diuisionis sexagenariæ iudicandum est de reliquis scrupulis posterioribus vel succedentibus. Similiter in partib. ipsis seu gradibus eadem analogia multiplicationis seu coagmentationis sexagenariæ compendium efficit. Nam sicut vna sexagena prima constat 60. partibus, ita vna sexagena secunda 3600. partibus & vna tertia

sexa-